

ipso sint creatio & conservatio? Resp.
Res non modo denominantur ab iis quæ
ipsis, tanquam subjectis, inhærent; ve-
rum etiam ab iis quæ sunt extra eas, ut u-
xoratus quis dicitur ab uxore &c.

3. Maneat ergo verum illud, quod
actio sit potius ab agente quam in agente,
creatio & conservatio potius a Deo quam
in Deo, cum Deus non sit terminus ad
quem tendunt (nihil enim creari aut con-
servari potest in Deo) sed terminus a quo
procedunt, sine ulla ipsius creantis & con-
servantis in se mutatione.

4. Quare cum actio nihil aliud sit quam
ipsum fieri rei quæ fit, sive ipse terminus
quatenus producitur, consequens est, ut
actio una eademque sit, quæ ad unum eun-
demque terminum tendit, diversa, quæ ad
diversos terminos.

5. Si igitur creatio & conservatio in re
creata & conservata non differunt, sequi-
tur, quod re non differant. Atqui non
differunt in re creata & conservata. Ergo.

6. Probatur minor, quoniam una ea-
demque res est, sive consideretur in primo
momento sui esse, ita ut dicatur *existere*
(quo respectu dicitur creari) sive consi-
deretur